

aliam, nempe in legem residentiae in loco ubi commoratur Curia Romani Pontificis. Ita Doctores cit. a Conzalez *in com. ad cap. 2. h. t. n. 6*, et regula hæc deducitur etiam ex Constit. Leonis X. quæ incipit *'Sub pœna'*, edita in Concilio Lateranensi V. ubi legitur *'Cum Cardinalis officium versetur in frequenti Rom. Pontificis assistentia et sedis Apostolicæ negotiis: propterea statuimus, ut omnes Cardinales in Romana Curia resideant.'* Ita etiam statuitur in decreto consistoriali Pauli III. cit. a Fagnano *com. ad caput 2. h. t. n. 21*. Quare Cardinales absque licentia Romani Pontificis non possunt a Curia illius recedere. Ita in cit. Const. Leonis X.

41. Quid vero dicendum si Cardinalis quidam hanc legem residentiae non observet; id est illegitime absit a Curia Romani Pontificis.

Respondemus ex dispositione *cap. 2. h. t.* Si Cardinalis illegitime absens, post canonicam monitionem ad residentiam non redeat, Cardinalitia dignitate a Romano Pontifice privari potest. Dixi post *monitionem*. Nam scimus Anastasium tituli S. Marcelli, de quo agitur in *cap. cit.* fuisse a Leone IV. pluries revocatum, idest monitum ut rediret, prout constat ex actis Synodi relatis a Baroniò ad annum 853. Quod etiam satis confirmatur ex ipso tenore capituli. Dicitur enim Anastasius *canonice depositus*, idest servata forma procedendi sacrorum canonum contra contumaces. Non requiritur vero quinquennium absentiae. Nam hoc tempus quinquennii in *cit. capite 2.* solummodo historice refertur; quia nempe Anastasius per hoc tempus abfuerat.

Non desunt auctores, inter quos Conzalez loco cit., qui tenent Anastasium fuisse depositum eo quia reliquerat parochiam suam et fidelibus sacramenta non administraverat. Posita hac interpretatione, Cardinales, qui in hodierna disciplina curam animarum in suis titulis haudquaquam exercent, si illegitime absint, deponi non possent ex dispositione *c. 2. h. t.* idest contra istos Cardinales caput hoc secundum invocari nequiret.

At dico, dispositionem hujusmodi adhuc valere, licet mutata sit disciplina in ordine ad titulos Cardinalium. Sane utique in *capite 2.* allegata est uti causa desertio parœciæ. At Anastasius depositus non est simpliciter uti Parochus, sed præcipue quia Cardinalis. Et revera ad deponendum Anastasium Summus Pontifex Synodum convocavit 67 Episcoporum, et juxta regulam practicam illius temporis exquisivit iudicium Imperatorum Lotharii et Ludo-

vici, qui quatuor Episcopos legatos ad synodum miserunt. Jam vero hæc solemnitates nullo modo necessariæ fuissent ad privationem parœciæ decernendam. Igitur ipsa dignitas Cardinalatus directe considerata fuit, et ab eo Pontifex deposuit Anastasium illegitime absentem. Quoties ergo aliquis Cardinalis legem residentiae non observat, idest illegitime absit, potest contra ipsum invocari sanctio *cap. 2. h. t.*

42. Sed regula omni dubitatione major constituta est ab Innocentio X. in Bulla *Cum juxta diei 19. Febr. 1646*. Videlicet Cardinales qui, non obtenta Papæ licentia, se transferant extra statum ecclesiasticum, primo privantur privilegiis et indultis, et facultate testandi, et interdicuntur ab ingressu in Ecclesiam, ultra alias pœnas arbitrio Papæ infligendas. Si non redierint infra sex menses a die recessus a Curia, privantur fructibus beneficiorum, pensionum etc. Si non redierint infra alios sex menses privantur omnibus beneficiis et officiis. Postquam annus integer talis illegitimæ absentiae transierit, conceduntur alii tres menses, in quibus monitiones canonicæ fieri debent, quibus finitis, idest post quindecim menses absentiae, deveniri potest ad alias pœnas usque ad privationem dignitatis Cardinalatus inclusive.

43. Absolutio ab inflictis pœnis ipsi Romano Pontifici reservatur, privative etiam ad Cardinales sede vacante. Tandem declarat Pontifex a prædictis pœnis Cardinales absentes non excusari prætextu servitii aut jussus Imperatorum vel Regum.

44. Secundo loco agendum est de sex Cardinalibus Episcopis suburbicariis. Ab antiquis temporibus septem Diœceses propinquiores Romæ appellatæ sunt suburbicariæ. Scilicet Ostiensis, Portuensis, Sabinensis, Albanensis, Prænestina, Tusculana, et SS. Rufinæ et Secundæ, seu Sylvæ candidæ. Callixtus II. suppressit hanc ultimam sedem, ejusque cathedram Portuensi episcopatuui perpetuo univit. Hinc sex Diœceses suburbicariæ remanserunt. Episcopi harum Diœcesium dicebantur Collaterales Romani Pontificis, eidem per hebdomadam in Lateranensi Basilica sacra peragenti assistentiam præbebant, necnon cessantibus frequentibus Synodis, quæ Romæ præsertim ex Episcopis Italiæ celebrabantur, in harum Synodorum locum successere Episcopi Suburbicarii, qui consilio suo et opera Romanum Pontificem adjuvabant in expediendis gravioribus Ecclesiæ universalis negotiis. Conf. Benedictus XIV. *De Synod. lib. 7. cap. 1. n. 7º*.

45. Quare antiquissima consuetudine inductum est, ut sex Cardinales Episcopi suburbicarii Romæ residerent, et eximerentur ab onere personaliter residendi in propria Diœcesi. Post vero legem tridentinam de residentia Episcoporum et Constitutiones apostolicas, ne dubium hac in re moveretur, Urbanus VIII. facta declaratione *die 28. Nov. 1633* prædictam confirmavit consuetudinem. Cui declarationi adhæsit etiam Clemens XII. in Const. *Pastorale officium* §. 9.

46. At Cardinales Episcopi suburbicarii 1º non eximuntur ab onere visitandi propriam Diœcesim juxta præscriptionem Sacrorum Canonum et Concilii Tridentini. Hoc sane onus confirmavit Alexander VII. in consistoriali decreto. Quam visitationem, si legitime fuerint impediti, complere tenentur per Vicarium in spiritualibus, aut alium idoneum virum; ex cit. § 9. Const. *Pastorale officium Clem. XII.*

47. 2º Tenentur onere visitationis liminum apostolorum, et relationis status suarum Ecclesiarum perficiendæ juxta Const. Sixti V. quæ incipit *Romanus Pontifex*; quemadmodum declaravit Clem. XII. in cit. Const. *Pastorale officium.*

48. Porro si Cardinalis Episcopus Diœcesi non suburbicariæ præsit, tenetur legibus communibus residentiae, pœnisque subjicitur, sive a Concilio Tridentino sive a Romanis Pontificibus latis contra Episcopos non residentes in Ecclesia vel Diœcesi. Quemadmodum declarasse Greg. XIII. refert Urbanus VIII. in cit. Const. *Sancta Synodus.*

49. Quod si Cardinalis Episcopus suburbicarius ex dispensatione Pontificis aliam Diœcesim retineat, residere debet in hac altera Diœcesi, non vero in suburbicaria. Ita declaravit Urbanus VIII. in decreto speciali edito *die 28. Nov. 1633.*

De onere residendi Parochorum et aliorum beneficium habentium cui adnexa est cura animarum.

50. De parochis habemus dispositionem tridentinam *in c. 1. sess. 23. § Eadem omnino etc. ubi curatis inferioribus, et aliis quibuscumque, qui beneficium aliquod ecclesiasticum curam animarum habens obtinent*, residentiae legem Patres intimant. Ex mente autem Concilii possunt parochi abesse a propria parœcia si justa et legitima causa verificetur. At duo insuper requiruntur: 1º ut causa absentiae sit cognita et approbata per Episcopum, qui licentiam recedendi a parœcia in scriptis et gratis impertiat. 2º ut con-

stituatur interim idoneus vicarius ab Episcopo approbandus, cui parochus debitam mercedem tribuat. Circa licentiam vero Episcopi plura sunt animadvertenda. 1º Eam concedere non potest Episcopus ultra bimestre, nisi ex gravi causa. 2º Non sufficit postulare licentiam ab Episcopo sed obtineri etiam antea debet ut licite parochus a parœcia discedat. Nam ubi licentia superioris exquirenda est, videtur eidem superiori reservata cognitio rationabilitatis causæ; videtur enim canonicum jus voluisse providere, ne quis incaute agat.

51. 3º. Non sufficit juramentum parochi, quo generice asserat, se gravi ex causa exposcere facultatem recedendi precario. Nam Episcopus exigere potest ut causa vel causæ absentiae sibi manifestentur. Verum datur exceptio. Videlicet expectanda non est, imo nec onus inest expetendi licentiam abeundi, quoties occurrat causa gravis, et periculum sit in mora, ita ut tempus non suppetat ad expostulandam eandem licentiam. Idoneum vero vicarium relinquere debet parochus et interim citius quo fieri possit, Episcopum admoneat oportet de sua absentia ut hic cognoscere valeat de causæ veracitate et pondere, concedatque debitam absentiae licentiam, nisi Parochus sit brevi recessurus ad suam residentiam. *S. Congr. Conc. die 7. Octob. 1604.*

52. Quæri potest, an pro absentia quæ sit bimestrali spatio brevior requiratur licentia Episcopi.

Ex resolutione s. Congregationis Concilii cit. *diei 7. Oct. 1604* quæ legitur in *libr. X Decretor. pag. 100.* deprehendimus, parochum absque licentia Episcopi non posse a sua parœcia per integram hebdomadam abesse. Igitur parochus poterit abesse a parœcia etiam absque Episcopi licentia diebus paucioribus quam septem, et non ultra, dummodo tamen relinquat idoneum virum loco sui in parœcia. Conferri potest Fagnanus *Com. in c. 4. h. t. n. 32.*

53. Animadvertimus autem posse Episcopum parochis suis facta diœcesana lege, interdicere ne absque sua licentia etiam ad pauciores dies recedant. Caveant vero Episcopi ab infligendis severissimis pœnis contra absentiam paucis diebus conclusam. Hinc a S. Congr. reprobata est dispositio Episcopi infligentis excommunicationem latae sententiæ contra parochos ultra biduum absentes absque sui licentia. Conferatur Barbosa *de Off. Parochi c. 8. n. 45.*

54. Porro ubi vim habet Concilium Romanum, seu Concilium Romanæ Provinciæ celebratum a Bened. XIII. an. 1725, coarctata

est ad biduum absentia parochorum. In cap. enim 6. tituli 17. hujus Concilii pro absentia eorumdem ultra biduum edicitur necessaria licentia Episcopi vel Vicarii generalis in scriptis et gratis danda.

De pœnis contra parochos illegitime absentes.

55. Ex cit. c. 1. sess. 23. de Ref. adversus Parochum vel alium Clericum possidentem beneficium, cui adnexa sit cura animarum, si illegitime absint, 1^o. præter peccatum lethale quod admittunt, statuta est pœna privationis fructuum pro rata temporis absentiae ita, ut etiam declaratione aliqua non secuta, non possint tuta conscientia sibi eosdem fructus retinere. Hoc enim ipsum statuit Concilium Tridentinum pro Episcopis, quibus æquiparavit Parochos, aliosque habentes beneficium ecclesiasticum, cui adnexa est cura animarum.

56. 2^o. Si Parochi et alii Clerici habentes benef. curata persistent in absentia, nec citati redierint, poterunt ab Episcopo compelli ad residentiam censuris ecclesiasticis, sequestratione, ac subtractione fructuum, atque aliis juris remediis, usque ad ipsam pœnam privationis beneficii. 3^o. Executio harum pœnarum impediri nequit ratione cujuscumque tituli familiaritatis, exemptionis, vel inhibitionis in Romana Curia, vel rigore Constitutionis Eugenianæ, idest Constit. Eugenii IV. relatæ in Extr. 3. *Inter Comm. in tit. De Privileg . . . lib. V.* Juxta hanc Eugenianam Const. locorum Ordinarii, commissarii, delegati etc. non possunt contra officiales Curiae Romanæ, et contra alios quoscumque fideles Romam pro suis causis vel negotiis venientes vel moram habentes Romæ, durante prosecutione causæ, vel ab Urbe recedentes, procedere aut promulgare censuras, aut pœnam privationis officiorum et beneficiorum, vel aliam sententiam. Ratio expeditæ executionis a Tridentino positæ in compellendis et in exspoliandis etiam suo Beneficio Parochis non residentibus, in speciali conditione et officio eorumdem collocanda est; ubi enim Parochus non residet, censetur periculum esse in mora, eo quod absente Parocho fideles necessariis spiritualibus subsidiis facile carere possunt.

57. De modo quo proceditur. Quæri potest, utrum antequam ad privationem beneficii deveniatur, necesse sit præmittere censuras, et alia remedia juris ad frangendam contumaciam; idest utrum servandus sit ordo pœnarum designatus in Tridentino? Ad-

sunt qui docent servandum esse præfatum ordinem pœnarum. At contraria sententia verior videtur, nam Tridentinum *liberum esse* vult Ordinariis experiri censuras et alia remedia.

Verum Tridentinum ait citandos esse Parochos absentes. Hac in re animadvertendum est, in Decretalibus Gregorii IX. adesse cap. XI. h. t. in quo statuitur, clericum absentem citandum esse personaliter; quod si fraudulenter absit, nec possit citatio ad eum pervenire, publicandum esse edictum citationis trinæ ad valvas Ecclesiae suæ; quod si clericus citatus non paruerit, et sex menses elabantur, privari posse beneficio suo. Porro hæc dispositio antiqui juris aliquantisper per Tridentinum Concilium immutata est relate ad Parochos. Nam ex dispositione c. XI. h. t. si cognoscatur locus ubi Parochus residet, debet citari personaliter, at Tridentinum quoad Parochos absentes abstulit onus citationis personalis; sufficit enim juxta Concilium citatio per edictum. Ajunt enim Patres Tridentini sess. 23. c. 1. *De Ref. Quod si per edictum citati etiam non personaliter, contumaces fuerint* etc. Cum vero præter hanc modificationem nihil aliud immutaverit Tridentinum circa modum procedendi in pœna privationis beneficii infligenda Parocho non residenti; servanda est in reliquis ratio procedendi c. XI. h. t. Tridentinum enim si penitus voluisset juri antiquo derogare, id significasset; e contra vero expresse solummodo quædam decernit. Igitur in reliquis antiqui juris regula præscripta adhuc vigere dicenda est. Et revera hac in re duas resolutiones habemus S. Congr. Concilii, unam die 26. Apr. 1621 in causa Gerundensi, aliam in causa proposita die 8. Junii 1624. In utraque causa respondit S. Congregatio posse Episcopum procedere ad privationem Beneficii curati contra Parochum non residentem, præmissis tamen tribus monitionibus ad eum revocandum, et dummodo lapsi sint sex menses juxta *Constit. Innoc. III. in c. Ex tue XI. De Cleric. non resid.* Porro sex menses incipiunt decurrere post tertiam admonitionem. Quare modus procedendi contra Parochos non residentes hic est, ut nempe Episcopus possit, si velit procedere per censuras, simul et sequestrationem aut subtractionem fructuum, aliaque juris remedia, secus potest vel personaliter vel per edictum trinæ citationis clericum revocare, et nisi redierit intra sex menses ab ultima citatione, poterit contra eum ferre sententiam privationis beneficii.

De Residentia Canonorum et aliorum Clericorum, qui Beneficium possident, quod nomine præbendæ venire potest.

58. Qui dignitatem, aut canonicatum, vel etiam beneficium obtinent in Ecclesiis Cathedralibus aut Collegiatis, ad residentiam obligantur. Conc. Trid. *sess. 24. c. 12. De Ref. §. Præterea.* Porro inter beneficia quædam adnumerantur, quæ etiam vere et proprie dicta simplicia appellantur, quæque talia onera secumferunt, quæ vel per alium, vel etiam extra Ecclesiam in qua erecta sunt beneficia commode et utiliter compleri possunt. Sic ex. gr. si præcepta sit simpliciter Missæ celebratio in aliqua peculiari Capella, quin præscripta sit celebratio personalis perficienda ab ipso Clerico qui beneficium possidet. Sic etiam si præscripta sit particularis quædam adprecatio, vel horarum divinar. recitatio extra chorum perficienda. Hæc beneficia aut capellaniam personalem residentiam non requirunt. Quæ vero sint hæc beneficia mere simplicia, præsertim ex lege foundationis comperitur.

59. Porro lex residentiam obligat Canonicos aliosque beneficium habentes, tum ut in loco beneficii commorentur, tum etiam ut choro, et divinis officiis deserviant per se et non per substitutos; quemadmodum satis edocet in cit. loco Tridentinum, in quo præcipit ut iidem Deum hymnis et canticis *reverenter, distincte et devote* laudent.

60. Nonnulli Doctores, inter quos *Reiffenstuel h. t. n. 109.* docuerunt contraria consuetudine induci posse, ut meditantibus Canonicis, vel preces, horasve submissa voce recitantibus, psalmorum et hymnorum cantus in toto vel in parte ab adsignatis cantoribus persolvatur; idque fieri posse putant auctores, præsertim ut psalmodia et decantatio solemniori ratione perficiatur. Verum Benedictus XIV. in *Inst. Eccl. 107.* refert plures decisiones S. Congr. Concilii huic opinioni contrarias et in Const. *Cum semper oblatus diei 19. Augusti 1744 § 24.* eandem opinionem uti falsam rejicit, et decernit, non posse eam sustineri et legitimam fieri ex inveterata consuetudine, vel statutis peculiaribus sed solummodo posse retineri ex privilegio seu indulto Pontificis adhuc vigenti.

61. Residentia Canonorum et aliorum beneficium possidentium debet esse continua; censentur enim mancipati servitio propriæ Ecclesiæ. Hinc præcipit *Alex. III. in c. 4. h. t.* illis conferenda esse benef. ecclesiastica, qui residere in loco beneficii, et

per seipsos officia valeant exhibere. Verum hoc principium valet absolute loquendo, et inspecto conceptu beneficiorum juxta primitivam institutionem Beneficiorum.

62. Nam hodie residentia quoad canonicos dici solet *discontinua.* Dum enim quoad parochos continua residentia exigitur pro singulis nempe momentis et horis, quia emergentibus seu repentinis etiam populi necessitatibus consulere debent; e contra residentia canonicos obligat certis diebus et horis, ita nempe ut residere teneantur ad præstandum servitium in choro. Ita S. Congr. resolvit in *Ferrarien. diei 4. Febr. 1843.* Unde Canonicus potest etiam Capellaniam ruralem retinere, dummodo non impediatur assistentia in choro. Ita S. Congr. in *Tolentinaten. diei 26. Maji 1739 in dub. 12.* Conf. Lucidi *de Visit. S. Limum tom. I. pag. 248—249.*

63. Præterea ex jure Tridentino expresso in *cit. cap. 12. sess. 24. De Ref.* conceditur Canonicis et Beneficiatis Cathedralium et Collegiatarum facultas abscedendi quotannis a propria residentia trimestrali spatio. Ultra hoc tempus non admittitur absentia nec vigore statuti proprii, nec consuetudinis cujusvis. Insuper cum hæc dispositio sit potius prohibens quam positiva, idest cum lata fuerit ad compescendos potius abusus longioris absentiam; hinc Tridentinum voluit, servandas esse peculiare constitutiones Ecclesiarum, quæ longius etiam servitium et residentiam requirunt. Scilicet jubet Concilium possessores Canonicatum et Beneficiorum frui non posse hoc indulto trimestralis absentiam, quoties a legibus proprii Capituli, vel absolute prohibentur abesse etiam ad trimestre, vel habent indultum absentiam minori spatio temporis coarctatum. Hinc teste Fagnano *com. in cap. Licet 32. de Præb. et Dign. n. 58.*, proposito dubio, an Canonici qui majori servitio Ecclesiæ, quam novem mensium, sint adstricti, subjaceant eisdem pœnis, de quibus in *c. 12. sess. 24. De Ref.* S. Congr. respondet *subjacere.* Sed magis explicitam resolutionem affert Benedictus XIV. in *Inst. 107. § 6. n. 31.*, editam a S. Congr. in causa Mutinen. an. 1573 per hæc verba: *S. Congr. censuit, trium mensium absentiam non concedi Canonicis ex Decreto Concilii sess. 24. c. 12. si in Constitutionibus Ecclesiæ servitium totius anni absque ulla intermissione sequitur* (*lib. 1. Decretor. pag. 168.*) Confirmatur hæc regula in alia decisione S. Congregationis, idest in *Forfensi diei 13. Nov. 1655.* At ubi speciales Ecclesiæ et Capituli Consti-

tutiones non requirunt majus seu longius servitium, possunt Canonici et Beneficiarii abesse trium mensium spatio.

64. Qua in re plura sunt animadvertenda; 1^o. hanc absentiam trium mensium a jure concedi; hinc licentia nec a Superiore, nec ab ipso Capitulo, rigore juris communis inspecto ex postulanda est; imo nec absentiae causa specialis requiritur, sed sufficit causa recreandi animum; quemadmodum edocuisse S. Congregationem Concilii refert Fagnanus loco cit. n. 52. 2^o. Non omnes simul Canonici abesse possunt, sed semper numerus eorum sufficiens remanere debet, qui possit Ecclesiae servitium exhibere. Hinc si abusus obrepere incipiant, ex dispositione *cap. 16. penult. h. t.*, potest Episcopus vigilare et prohibere, ne ex plurium Canonicorum absentia chori servitium et divinus cultus detrimentum patiantur. In hoc sensu affertur a Fagnano loco cit. resolutio S. Congregationis. Hinc Episcopus potest legem ferre, ut nemo ex Canonicis et Beneficiatis residentiam relinquat, et spatio trium mensium conciliarium absit, nisi licentiam ab ipso prius assequantur. Ita resolvit S. Congr. in *Terracin. 17. Febr. 1628.*

65. Ceterum Episcopus non potest hanc facultatem absque rationabili causa denegare; quemadmodum infertur ex pluribus resolutionibus S. Congregationis Concilii, inter quas citamus resolutionem in causa *Cupimaris diei 4. Maji 1737. ad 2^{am} dubium.*

66. 3^o. S. Congregatio in causa *Auximana diei 12. Julii 1631. (lib. Decret. 14. pag. 467)* 'Censuit, Episcopum facere debere decretum, ut in Collegiatis Ecclesiis suae Diocesis, quae vigore Concilii Trid. gaudent vacatione trium mensium, canonici abesse non possint ultra tertiam partem uno eodemque tempore, et hujusmodi vacationes contingere non debeant tempore Quadragesimae et Adventus, neque in amplioribus anni festivitibus'.

67. Non admittitur vacatio trium mensium in capitulis in quibus vigent mediariae vel tertiariae, idest servitium chori, quod praestatur a media vel a tertia parte Canonicorum alterius hebdomadis. Ita S. Congregatio in causa *Castrimaris diei 30. Julii 1735*, et in *Capuana diei 3. Decemb. 1739.*

68. Quæritur an Capitulares possint sese invicem substituere in chori servitio praestando. Bened. XIV. in *Inst. Eccl. 107. n. 17.* innixus variis resolutionibus S. Congregationis Concilii sententiam affirmativam sequitur, sed sub aliquibus conditionibus; scilicet 1^o. 'Ne substitutus ipse ad chorum venire teneatur illis diebus,

quibus in locum alterius sufficitur. 2^o. Ne id frequenter contingat. 3^o. Ut subrogentur solum Canonici vel Mansionarii praesentes in civitate, non vero qui extra illam, vel extra suburbia versantur. Ultimo ne hanc facultatem alterum substituendi obtineant nisi Canonici vel Mansionarii, non autem ipsorum coadjutores, qui nec reipsa Canonici, neque Mansionarii nuncupari possunt.'

Pariter S. Congregatio tenuit, Canonicos honorarios substitui non posse veris Canonicis. Conf. *Inst. 107. Benedicti XIV. § 6.* et Lucidi opere cit. tom. I. pag. 256.

69. Quæritur utrum et quæ dentur in jure causæ, quæ privilegium absentiae tribuant clericis ita, ut considerentur ceu praesentes et fructus faciant suos?

Dantur utique. 1^a. est causa studiorum. De hoc privilegio sermo est in *capp. 4. et 12. h. t. et in c. ult. De Magistris in lib. 5.* Privilegium hujusmodi in eo consistit, ut docentes in facultate theologica dum in scholis docent, et studentes per quinque annos percipiant fructus beneficiorum suorum, licet non resideant in loco beneficii proprii. Quare licet absint, fictione juris doctores isti et studentes reputantur uti praesentes. Hoc privilegium renovavit Concilium Tridentinum in *c. 1. sess. 5. de Ref.* favore lectorum docentium sacram Scripturam et eam addiscentium.

Porro ex pluribus declarationibus S. Cong. Concilii ex. gr. in *Perusiana 7. Maji 1707* praedictum indultum favet etiam Doctoribus et scholaribus juris praesertim canonici. Scholares vero ut hoc indulto frui possint, vacare debent in loco publice probato ex. gr. in Universitate, Academia vel Lyceo. Nullius enim roboris indultum declaratur illorum qui ad villas vel castella se conferunt, in quibus nullum est, vel minus competens studiorum exercitium *c. 12. h. t.*

70. Verum hoc indultum est subordinatum decenti servitio Ecclesiarum et cultui divino praestando. Hinc in *c. ult. De Rescr. in 6.* revocantur gratiae et facultates concessae etiam ratione studiorum, ut Clerici possint alibi commorantes percipere fructus beneficiorum. Revocatio hujusmodi facta est, quia ob absentiam horum Clericorum cultus divinus imminuitur, et officium propter quod beneficium ecclesiasticum datur, omittitur. Ex hoc Capite regula exurgit, scilicet absentiae facultatem a jure non amplius causa studiorum indulgeri, quoties in evidens cultus divini detrimentum vergat.

Hinc praxis inducta est, ut indultum absentiae ob hanc causam expostuletur a Congregatione Concilii, quae illud non elargitur nisi prius informetur ab Episcopo de rerum statu, an absentia clerici noceat nec ne choralis servitio.

71. Qua in re animadvertimus, jure decretalium expresso in *cap. 34. De Elect. in 6. § Porro*, Parochos abesse potuisse a parœcia ob causam studiorum. At hæc facultas abolita esse dicenda est a Concilio Tridentino *sess. 23. cap. 1.* Sane 'S. Congregatio censuit, nec etiam causa studiorum licere post Concilium Parochis abesse ab eorum curis, et quoad hoc revocata esse omnia privilegia tum a jure tum etiam specialiter concessa; ideo Episcopum posse contra absentes procedere juxta formam traditam a Concilio Tridentino *sess. 23. c. 1.*' Hoc responsum dedit Sacra Congregatio Concilii *die 1. Decembris 1594.*

72. 2^{us} Casus legitimæ absentiae quæ fructuum perceptionem non impedit, attingit duos Canonicos, quos Episcopus assumit ut sibi opem præstent in Ecclesiæ servitio, quique censentur esse præsentis et ex præscripto sacrorum canonum præbendæ fructus percipiunt *c. 7. et c. 15. h. t.* Huic privilegio derogatum non est, in *c. 12. sess. 24. De Ref.*

Quamvis regulariter assumantur Canonici Cathedr. Eccl. ut Episcopum coadjuvent in negotiis Diœceseos expediendis, tamen vocari possent ab Episcopo et frui indulto absentiae etiam duo Mansionarii Ecclesiæ Cathedralis vel duo Canonici Collegiatarum Ecclesiarum, quemadmodum fuisse resolutum a S. Congregatione Concilii in causa proposita *die 9. Sept. 1628* refert Barbosa *Tract. De Canonicis et dignit. c. 25.* Idem fuit resolutum ab eadem Congregatione in causa *Cajetana servitii* (lib. Decret. 23. p. 317.) quam refert Benedictus XIV. *Instit. Eccl. 107. n. 57.*, nec non in alia *Venusiana diei 30. Julii 1763.* At Episcopus non potest uti opera Dignitatum vel Canonicorum qui animarum curam exercent, prout S. Congregatio Concilii Episcopo Monti-Hasconesi intimavit *die 28. Aprilis 1659* teste Benedicto XIV. in loco cit.

73. Præterea in *cap. 12. sess. 24. De Ref.* de Canonicis constitutum est, eosdem debere Episcopo celebranti aut alia pontificalia exercenti assistere. Quare etiam assistentia hujusmodi est causa legitimæ absentiae a choro. Benedictus XIV. in cit. *Instit. Eccl. n. 60.* plures resolutiones refert ex quibus deducitur Cano-

nicos teneri ad assistentiam Episcopo præstandam non solum in munere sacerdotis et diaconi, sed etiam in munere subdiaconi. In causa autem *Foro cornelien. diei 25. Januarii 1625* (lib. Decret. 12. pag. 253) resolutum est, Canonicos inservientes Episcopo missam privatam celebranti non lucrari distributiones quotidianas. Idem resolutum est in causa *Amerina diei 5. Febr. 1629* (lib. Decr. 11. pag. 17.) In causa autem *Arionensi* proposita diebus 19. Aprilis et 17. Maji 1704 (*rel. IX. p. 107. c. 71.*) Sacra Congregatio censuit, Canonicos tempore divinatorum officiorum Episcopo Missam celebranti in privato sacello non teneri assistentiam præstare, licet consuetudo adfuerit.

74. 3^{us} Casus est infirmitas vel alia justa et rationabilis corporalis necessitas *cap. un. h. t. in 6^o.* Quoad primum membrum, quænam sit infirmitas, quæ secumfert privilegium absentiae, si controversia enascatur, prudenti judicis arbitrio determinatur; judex vero præsertim debet attendere fidem periti et bonæ conscientiae medici. Infirmitati æquiparatur rationabilis necessitas corporis quo nomine venit impedimentum physicum quo detineatur Canonicus quominus ad chorum accedat.

75. Quarto loco venit casus Canonici, qui ab Episcopo impedito mittitur ejus loco ad visitationem perficiendam sacrorum liminum, vel qui Episcopum ipsum visitantem sacra limina concomitatur. Quo in casu Canonicus censetur uti præsens in Ecclesia ceu decrevit Sixtus V. teste Benedicto XIV. in sua *Instit. Ecclesiastica 107. n. 59.*, ubi refert binas resolutiones S. Congregationis Concilii. Prima est *diei 1. Oct. 1662* in causa *Regiensi* hujus tenoris: 'Censuit S. Congregatio deberi (Canonicis) distributiones quotidianas tempore accessus, mansionis et regressus visitationis Sacrorum liminum, quod tempus constituit esse trium mensium'. Alia resolutio est in causa *Salmonensi die 5. Decemb. 1626* per hæc verba: 'Canonicos suum Episcopum in visitatione Sacrorum liminum comitantes, distributiones quotidianas lucrari debere.'

76. 'Comitantes vero (Episcopum) in visitatione Diœceseos, si omnes fructus, ut supponitur in distributiones quotidianas consistunt, lucrari duas partes, amissa tertia, quæ inservientibus accrescat.'

77. Hisce supradictis causis etiam adjungi potest privilegium apostolicum, quo alicui ob officium, quod in bonum Ecclesiæ sus-